MOMENTA QUAEDAM CIRCA HAEMORRHAGIAS PULMONUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVI. M. SEPT. A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GUST. ADOLPH. KOENIGSFELD,
MARCODURO RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

H. W. A BROICH, MED. ET CHIR. DD.
IGNATZ. DUENTZER, MED. ET CHIR. DR.
K. SCHRUFF, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

Sanguis sursum quidem, qualiscumque fuerit, malus.

Hippocratis (Aphor. XV. Sec. 17).

PARENTIBUS OPTIMIS.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum inaugurale specimen, qui summos doctoris honores impetrare studet, eligere, et mos et lex altissima jubet, ex numerosissimis, quae medicina practica offert, objectis, haec de pneumonorrhagiis materia prae caeteris me arridebat. Sed cum tot praecesserint auctores, quorum ingenium, longorum annorum experientia suffultum, rem praeclare gessit; cuique, me hercle, difficillimum est, qui exiguis scientiis pollens, nec tam crebra experientia armatus, ecquid momenti adhuc proferre. Quare hoc conamen, quo hujus morbi naturam, aetiologiam, therapiamque, meis ipsis, aliorumque observationibus adjutus, perscribere audeo, benigno lectoris judicio eo magis, quam temporis angustiis ad festinandum coactus fuerim, commendatum esse vellem.

LITTERATURA.

Hippocratis aphorismi.
Burserius instit. med. pract., Vol. IV. pag. 17 — 407 — 483, Vol. III. pag. 310.
Fr. Hoffmann rat. med. syst., Vol. IV. P. II. p. 31.
van Switen commentatio T. IV., in Boerhavii Aphor.
Stoll, ratio med., T. III., p. 12.
S. G. Wagner, dissertat. de haemoptoes.
Quarin, animadversiones practicae in var. morb. p. 51.
Rochlii dissert. in Brendel op. II. p. 112.
Gramberg dissert. in Schroeder opusc. II., pag. 306.
G. Ludwig, animadv. med. pract. Vol. I. pag. 145.
Lutheri dissert. de haemoptoe, Wittenb. 1783.
Socini observat. in nov. act. helvet. Vol. 1787, 16.]
De Mezza in Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte XV. S. 243.
Marx, über Schwindsuchten. S. 40 — 94.
Raimani, Therapie.
Ephr. Reinhard, Abhandlung über Lungenblutflüsse. Glogau 1762.
Selle, clinic. medicum.
Gutberlet et Reuss dissertat. inaug. Würzburg 1798.
Reils Fieberlehre. Tom. III. pag. 88.
Boehr, nova acta nat. curios. Vol. VIII, pag. 159.
Portal in Abhandl. für pr. Aerzte. Vol. X. pag. 409.
Windringham ibidem. Vol. VIII., pag. 419.
Medicus, morborum periodic. historia. Tom. I. pag. 116.
J. P. Frank, epitome. L. V. P. II. pag. 1 — 203.
Vogels Handbuch zur Kenntniss und Heilung von Blutflüssen. Stendal, 1800.
Spangenberg, über Blutflüsse. Braunschweig, 1805.
Pinel, von den Blutfl. im Allgemeinen (aus dem franz. von Renard und Wichmann).
Krause, Abhandl. v. d. Blutfl. 1783.
Richter, Therap. specialis. Band 3. pag. 237.
Meyers system. Handb. zur Heil. der Blutflüsse. 1804.
Wollkopf, über Blutflüsse. 1805.
Nasse, in praelectionibus suis de therap. spec.
Haase, über chron. Krankh. 1. Band, 7. Cap.
Cullens, Anfangsgründe d. pract. Arzn. Kunst. 2. B. S. 234.
Buechner, (resp. Klisch) dissert. de haemoptysi. Halae 1765.

NOMEN MORBI.

Pneumonorrhagiam sanguinis e pulmonibus eruptionem appellamus, quod vulgo sub nomine: Haemoptysis comprehenditur. Verbum ipsum ex graeco ortum suum ducens, e verbo πνευμων (pulmo), atque ραγη (ruptio) compositum est. Varii auctores eandem rem variis sub nominibus tractant, quae sunt: Emptoe (Gordonus), Emoptoys, emptoica passio (Gilbert), sputum cruentum, sanguinis sputa, sanguinis fluor, cruenta exspuitio, haemorrhagia pulmonum, chrachement de sang (Gall.), Spitting of blood (Angl.). Fluvium ex trachea, tracheorrhagia dictum, quum certa distinctionis signa nobis deficiant, stricte distinguere non possumus.

DEFINITIO.

Quaedam praeternaturalis sanguinis e vasis effusio sensu latiore haemorrhagia vocatur. Quoad nunc pneumonorrhagiae definitionem pertinet; celeberrimus P. Frank, qui etiam hanc rem, praeclare, ut solebat, tractavit, omnia, quae ad morbi definitionem perfectam necesse sunt, verbis sequentibus exhausisse putavit; Est vero, inquit, pneumonorrhagia sanguinis sinceri vel ex trachea vel ex bronchiis surgentis fluidi plerumque ac spumosi floridi_

que, sed et indolis alterius, praevio titillationis in faucibus, aliquando caloris, constrictionis doloris in pectore sensu, per laryngem vel exspirationis fortioris vel tussis actionis rejectio.

Raimann in therapia sua breviter de hac re se ita exprimit: Haemoptoe, haemoptysis sanguinis ex pulmonibus est evacuatio (pneumonorrhagia,) sive ex trachea, (tracheorrhagia) quae fortiori exspiratione, tussi vel motu tracheae antiperistaltico perficitur.

Cullenius quidem pneumonorrhagiam ita definit: Genarum rubor molestiae aut doloris, et aliquanto caloris in pectore sensus, dyspnoea, titillatio faucium, tussis aut tussicula sanguinem floridum saepe spumosum rejiciens.

Si quod A. Richter de hac re dixit, amplectemur, est: Haemoptysis, illa laryngis, tracheae, bronchiorum sive pulmonum ipsorum haemorrhagia, quae per os erumpit.

FREQUENTIA.

Qui pulmonum laxam, spongiosamque structuram, functionem, mobilitatem perpetuam, immensum sanguinis, quae in iis cumulatur, quantitatem, magnam sensibilitatem et irritabilitatem, qui structas huic organo insidias multiplices, omneque violentiae genus, quocunque quotidie ei conflictandum sit, consideret: facile perspicere potest, haemorrhagiam pulmonum caeteris omnibus frequentiorem esse. Quamvis enim homines in juveniliore aetate

usque ad annum trigesimum sextum maxime corripere videri possit, tamen eam nulli vitae periodo parcere fatendum est. Caeterum in genere magnum discrimen positum esse non puto, quum feminae ac viri pariter, pro varia, coeli, locorum, tempestatumque natura et indole, passim frequentius malo succumbere videantur.

DIVISIO.

Ex congestionis doctrina antiqua quidem sed practica pneumonorrhagium divisio lubenter sequi potest in activas et passivas. Richter (therapia vol. III, pag. 280) divisionem certa causa occasionali positam, in activas, spasticas, passivas, rectiorem esse putat. Princeps autem morbi hujus divisio ea mihi videtur, quae vel ex locali, vel universi systematis vitio vel remotiorum locorum affectione orta, consideratur; tum haec viribus vitalibus sive *auctis* (pneumonorrhagia activa, hypersthenica) seu fractis (pneumonorrhagia passiva, asthenica). Caeterum pneumonorrhagia vel primaria est, vel secundaria, atque tum habitualis cum periodica observatur. Quum maxime haemorrhagiae ex vasis arteriosis, sed rarissime ex venosis erumpunt, quod ne alio modo, quam per rhexin seu diaeresin perfici potest, quum sanguinis secretio per diabrosin in sensu strictiore ad haemorrhagias chirurgicas numerari deberet.

CAUSAE.

Ante omnia vere in pneumonorrhagiae aetiologia ad causas praedisponentes, at praecipue dispositionem quandam nativam seu hereditariam ad phthysin pulmonalem respiciendum est, quam jatrosophi habitum phthysicum nominant, atque hoc fere modo designant:

Abnormis thoracis constructio praecipue eminet; temperamentum sanguineum, bonae indoles cum irritabilitate et strenuitate magna, in his individuis conjunctae sunt, sed statim physice et psychice defatigati, quid vix vehementer susceperint, relinquunt.

Crines flavae, oculi coelii, atque cute albissima, quacum pulcherrima labiorum genarumque color bene congruit, venae perlucent; humeri alaeformes gracili figura adhaerescunt, atque in tenui collo larynx valde prominet. Orgasmum, congestiones palpitationem cordis, epistaxin incitamenta et levissima quidem, facile provocant. Puerilis aetas pituitate, scrophulis, tinea capitis, frequenti katarrhali affectione, quae longo ejectionis stadio tandem finit, saepius laborat; ac si aegroti sputis dulciculis seu salsis tubercula quaedam foetido odore submixta ejicere, si saepius et irregulare febricitare incipiunt, malum exitum timere sinunt.

Inter causas potiores, quae pneumonorrhagiam excitare possint, referendae sunt: vis externa pectori illata, compressio malaque thoracis formatio, unde textores, sutores etc. morbo hoc affici solent; fractura sterni, et costarum, tubarum, fistularum inflatio, seu

vociferatio vehemens et diuturna; corpora aliena in pulmones penetrata, vapores corrodentes respiratione hausti, ut exempla, quae in laboratoriis chemicis accidunt, docent; sternutatio impetuosa, risus effreni; etiamsi corpus violenter ludendo, currendo, vectitando, equitando etc. exercere studemus.

Praeterea etiam varias quasdam et pulmonum ipsium, et partium propinguarum affectiones morbosas, quae pneumonorrhagiae causa esse possint commemorare debemus. Tubercula pulmonum, calculi hoc in viscere, seu materies tophacea, ossificatio bronchiorum et aneurismata cordis, vasorum majorum tum aortae, tum arteriae pulmonalis, indurationes; sic Morgagni pneumonorrhagiam (*de sedibus et causis morborum*) e duritie unius pulmonis, altero sano, explicavit: »verisimile est, dicens, ad sanguinis eruptionem contulisse duritiem illam, quae primum vasorum partem, novissime autem omnia arctando, sanguinem coëgerit, primum quidem sinistro pulmone vas aliquod nimis distendere ac rumpere, postremo autem id facere in dextro.« Sed non solum arteriarum, sed etiam venarum pulmonalium morbi pneumonorrhagiae aliquando causam offerunt. Tale quid Hyppocratis significasse videtur his verbis: »Si in pulmone varix fiat tussis sicca corripit et rigor et febris in principio quidem morbi valde vehementer, fit etiam erecta cervice respiratio, et dolor in capite consistit et in pectore et pedibus. Et supercilia impendere videntur, et tumor in faciem descendit et in pectus et in pedes.« —

Pneumonorrhagia etiam in hydrothòrace a pulmonis compressione aquae aut materiae puriformis, sive puris in cavitate thoracis, vi effecta, gigni potest; sed creberrime pülmonis abscessus, sive vomica, morbi hujus causa haberi debet. Vasa pulmonalia sanguifera erosa, in saccum vomicam constituentem, hiantia, saepe conspiciuntur.

Exanthemata, sponte, vel remediis incongruis adhibitis, suppressa, ex lege metastaseos pneumonorrhagiam lubenter excitant; et herpes prae omnibus maximam habet inclinationem. Saepius infarctis hoc perfici potest, cum pulmo ejusdem lateris, viscere abdominis obstructo, comprematur; quo facto, libera pulmonis pars, functione aucta, dilatatur, ejusque vasa perrumpuntur. Quam rem Hyppocratis his verbis designavit: »Quibus hepaticis sputum cruentum, sive subputridum, sive biliosum menacum, statim perniciosum est.« Et alio loco, »Quicunque sanguinem spumosum spuunt, dextrum praecordium dolentes, de hepate spuunt et multi pereunt. Sed etiam viscerum abdominalium spasmi aequali modo haemoptysi occasionem admovere possunt.

Si aliae causae adhuc enarare volumus, etiam suppressioni excretionum consuetarum locum attribuere, et hic praecipue, menstruorum haemorrhoidumque suppressionis subitaneae, usitataeque venesectionis, sed quadam casu omissae, commemorare debemus. Nam sanguis, porta, qua vulgo evacuetur, clausa, aliam viam parare studet, atque ita impetum ad pulmones augens, primum pneumonorrhagiae

fundamentum ponit. Epistaxis, si causa quadam retineatur, interdum idem efficit. Denique omnia, quae nimia masturbatione totius corporis systemata irritant, hujus morbi causam facere possunt. Nam exempla feminarum exstant, quae quovis coitu pneumonorrhagico insultu affligebantur. Manuum opera quaedam, opificia et occupationes, vincula adstrictoria, localem pulmonum debilitatem et propterea haemoptysin adducunt, quare ejus frequentiam apud sutores, sartores, lapicidas, linteorum textores, et praecipue apud metallicos, qui in plumbi et hydrargyri foedinis laborant, mirari non possumus. Denique inter pneumonorrhagiae causas referri oportet, dyscrasias quasdem, praecipue luem veneream et scorbuticam.

SYMPTOMATA.

Interdum nulla haemoptysis signa prodroma adsunt, frequentius autem varia modo praecurrunt. Pneumonorrhagiam ex vasis pulmonum ipsis nobis indicit, sanguinis spumosi atque ruberrimi natura, quae ab initio atque postea cum muco bronchiali intermixta, semper in magna quantitate ejicitur. Aegroti nonnunquam ante eruptionem ipsam persentiunt horripilationem atque refrigerationem in extremitatibus, quibuscum sensus, quasi calidus vapor ex trachea adscenderet, conjunctus est; porro respiratio difficilis et sibilans, dolor in dorso, lassitudo atque artuum gravitas, borborygmus, alvique adstrictio, in pectore gravationis sensus ardore atque

titillatorio profundo comitatus, observantur. Quandoque morbo hoc laborantium mitis est tussis, ut sanguis quasi spontanea vi in fauces adscendere videatur, et levi excreatione proveniat. Sic Stahlius »aliquibus tacite prorsus et sine omni sensibili commotione et quidem tam impetu quam pertinacia singulari, sanguinem e pulmonibus erumpere« testatur. Quamquam in haemoptysi passiva horum symptomatum plurima deficiunt, tamen ex aliis phaenomenis facile perspicitur. Quidquid autem haemoptysis phaenomena, percursum atque spatium adtinet, haec omnia tum hoc, tum alio modo se oculis afferunt. Vulgo morbus intermittens, facile, sed non uno eodemque tempore atque rare typo constanti redit.*) Mox sanguis immensa quantitate, ut aegri breve post animi deliquium atque paene suffocationem patiantur, miti tussi effluit, mox parva sed tussi acerrima atque convulsiva erumpit.

Interdum vesiculae, vasa parva atque membranae, quae ex lympha plastica in bronchiis cumulata exortae sunt, simul cum sanguinis eruptione excernuntur. Frequenter sanguis etiam pure, ichore, parvisque pulmonum portiunculis submixtus est. Signa haemoptysis prodroma maxime habent naturam spasticam. Praeter ea, quae jam prius nominavi, haec addere mihi liceat: somnus intranquillus, somniis terrificis interruptus, magna et corporis et animi irritabilitas, facies modo calida atque rubra, modo frigida et pallida, palpitatio cordis, labia tre-

*) Medicus, Geschichte period. Krankh. Tom. I. pag. 116.

mulantia, excretio urinae aucta, pulsus convulsivus, durus, variabilis, sapor dulcis, praeternaturalis, sanguini similis, raucedo. — Quibus symptomatibus, cum paulatim augeantur, praecurrentibus, aeger vàporem adscendentem, sanguinemque in trachea ebullientem sentit, qui paulo post majori vel minori copia, violenter aut placide excernitur. — Sed talia prodroma saepenumero desiderantur, atque sanguis statim per narium ostia erumpit, faucesque vellicans vomitum excitat. Quomodocunque fiat, pneumonorrhagia modo cum pectoris dolore, tussi, difficultate in latus unum alteriusve decumbendi et dyspnoea conjuncta est, modo sine his morbi complementis se prodit. Morbo hoc gravius affecti, vix loqui audent, quaeque edunt verba, nonnisi interrupta, et quasi submissa voce pronuntiant, ut vix atque vix circumstantium auribus percipi queant. Sunt, nec pauci quidem, qui vehementer agitentur, cordisque palpitatione affligantur. Arteriae cum duritie et celeritate micare solent. Tussiendi conatum miseri, quamdiu fieri solet, reprimere, sed saepe frustra, laborant.

Haemoptysis tam brevi, quam longiori tempore perdurare potest. Ubi symptomata prodroma non praecurrunt, subito quidem sed non tali vehementia aegrotum opprimere atque frequentius recidivum facere solet, ut nunc quidem cessasse videatur, sed subito, sine ulla manifesta causa, redintegrescat.

Magnae haec variationes, quae haemoptysis perecursus, phaenomena et spatium praebent, praecipue a diversis ejus causis dependent, prout dis-

positione, vitio locali, vel alia quadam causa occasionali constitutae sint. Quare cognitio ejusque accuratissima observatio maximi est momenti.

DIAGNOSIS.

Haemoptysis diagnosis sanguinis effluxu ex respirationis organis atque ejus excreatione per os confirmata est. Sed plurimis premitur difficultatibus. Certe non quidquid ex pulmone nigri coloris ejicitur, sanguis jure habetur. Viderunt medici sputa nigricantia hora matutina rejecta ab iis, qui cubiculo, fumo lampadae sive carbonum impleto, inhabitabant. Saepe ejusmodi sputa ex glandulis membranae internae laryngis, tracheae et bronchiorum scaturiunt.

In promptu vero est confundere pneumonorrhagiam cum epistaxi, stomatorrhagia, haematemesi et morbose commutato bronchiorum muco.

Cum epistaxi. Vulgo, si sanguis sine tussi tum per os, cum per nares effluit, in fauce facile locum, quo ex erumpit, perspicere possumus, sed si locus ille affectus intus in fauce occultus est, atque sanguis non viam per nares subsequitur, signa etiam haec medicum libenter fallunt. Sanguis in fauce coagulatus laryngis irritatione, tussin et vomitum, atque ita confusionem cum pneumonorrhagia, stomatorrhagia, haematemesi perficere potest.*) Causae occasionales, percursus atque praecipue caetera haemoptysis symptomata hic diognosin ducere debent.

*) Reil's Fieberlehre, Tom. III. pag. 88.

Cum sanguinis effluxu ex ore. Aeger hic vulgo sensu locum genarum, tonsillarum, uvulae, faucium, gingivae affectum, quo ex cruor effluit, indicere aut ore aqua eluto, autopsia ipsa animadvertere potest. Sanguis etiam hic maxime est mucosus, serosus, niger, simulque scorbuti (haemorrhagiae petechialis) vel status putridi signa non rare adsunt.

Haemoptysis cum stomatorrhagia commutatio ac peritissimo quidem facile fieri potest, praesertim cum, ut Boehr affirmat (nova acta naturae curiosorum VIII., pag. 159.) stomatorrhagia, cum pneumonorrhagia conjuncta uno eodem tempore, sed rarissime, animadvertantur. Sanguis tamen ex stomacho ejectus, bili, muco, victuque submixtus, non ut in haemoptysi, spumosus, sed potius coagulatus niger, et sub fortissimo vomitu eructatur. Sed etiam in haemoptysi accidere potest, ut sanguine in stomachum fluxo, evomituritio contentorum sanguine submixtorum oriatur, vel in haematemesi, sanguis fluidus atque ruber in laryngem adscendens tussi irritato ejiciatur. Quibus in casibus aetiologia ipsa lucem proferre debet.

Suffundenda cum muco bronchiali haemoptysis praecipue est in hominibus aetate provectis, ubi glandularum bronchialium excretio mucosa nigricaus, sputa fusca tingit, atque ita commutationem faciliorem reddit. (Portal in Abhandlg. für pract. Aerzte. Vol. X. pag. 409.)

Sed libelli hujus modum excederem, si omnia haec, quamvis vulgatissima pro argumenti dignitate

accuratius tractare vellem: sufficiat, quae dixi, atque de peripneumonia modo pneumonorrhagiam simulante, utpote de re saepius occurente, nonulla apponere, mihi liceat. Haud rare exstant peripneumoniae, quarum symptomata praecipua ab iis, quae in pneumonorrhagiis observantur, non plane sunt diversa. Pectoris enim dolores, decumbendi facultas, et alia quibus aegrotus vexatur solus, medici sensus minus feriunt, quam cruenti sputi conditio. Quo fit, ut morbus, revera peripneumonia, nomen pneumonorrhagiae accipiat. Quod si prima morbi initio perpenderemus facile evitari possit. Sed forsan quaeras, num morbi, quibus hoc loco agitur, valde inter se differant? De multis pneumonorrhagiis vix crediderim, a peripneumoniis eas admodum diversas esse. Etenim, si sanguis ex pulmone fluxum, qui ab hujus visceris laesione, aut quibusdam aliis obstaculis mechanicis oritur, excipiamus, quam effectus secretionis morbosae a nimia arteriarum pulmonalium actione (statu certe inflammationis proximo) proveniens. Sanguinem enim pneumonorrhagiam manifeste arguentem fere semper arteriosum esse, Reil (Ueber Kenntnifs der Fieber. 3. Band, 4. Cap., pag. 77.) satis superque demonstrasse videtur. Verum non sufficit, pneumonorrhagiam ab aliis morbis distinguere, sed ipsius morbi natura eruenda est; ex causarum enim varietate abunde aparet, pneumonorrhagiae indolem aeque diversam esse. Et eruet plerumque medicus, qui harum causarum bene gnarus, sine praeconcepta opinione, in observatione aegrorum totus est.

PROGNOSIS.

Omnis Pneumonorrhagia non sine periculo est. Quod Hippocrates*) jam bene intellexit, dicens: »Sanguis sursum quidem, inquit, qualiscunque fuerit, malus.« — Altero loco prognosin pneumonorrhagiae exposuit his verbis,« qui sputis cruentis detinentur ex his quidam brevi pereunt, quidam vero diutius vitam trahunt, praestat enim corpus corpori, aetas aetati et affectio affectioni, et anni tempestas tempestati in qua aegrotant: alii enim morbus facile tolerant, alii prorsus tolerare nequeunt. »Interdum non sanguinis solum effluxus est, qui prognosin obnulat, sed potius organis afflicti dignitas, perpetua ejus motio, quae ut haemorrhagia desistat, impedit; porro causae, et praecipue status morbosus, qui eae suppositus est; denique morbi, qui pneumonorrhagia oriri possint, et inter hos praeter omnes pulmonum suppuratio, sunt, qui periculum adducunt.

Quod autem specialiter hoc pertinet, prognosin confirmant:

1) *Haemorrhagiae character.* Quae sine dispositione praecipua, etsi aliis affectionibus morbosis conjuncta, adest, minus, quam in casu contrario, periculosa est; sed ubi paralysis, status putridus seu typhus se consociant, aegrotus maximo in periculo versatur. Quare pessima haud dubie prognosis est in hominibus ad phthysin pulmonalem praedispositis, aut morbo hoc jam afflictis. Idem

*) Aphorism. XV. sec. 17.

sane de pneumonorrhagiis ex aneurismatibus aut aliis vitiis localibus ortis, dicendum est.

2. *Conditiones haemorrhagiae causales.* Ubi causae externae, vel temporaneae, magna corporis perturbatio, pulmonum intentio etc. affectionem admovent, prognosis melior est; infausta autem, ut jam antea dixi, in dispositione phthysica, atque iis et thoracis et abdominis organorum vitiis, quae removenda extra medicinae artis fines jacent. His autem casibus exceptis pneumonorrhagiam pro morbo multo minus periculoso, quam vulgo creditur, saltem ab iis, qui illam ex ruptione vasorum sanguiferorum, quam ex eorum secretione morbosa derivare malunt, auctore praeprimis cel. Frank, habendam esse, contenderim. »Non tamen, inquit, ultra quam par est, et quam experientia jubet, hos timores, cum damno aegroti, extendi oportet.« — Ab illata thoraci externa violentia sanguis persaepe, sed multis in casibus sine eo, quod causae internae attulissent, rerum discrimine per tracheam funditur. Nec minus in robustis hominibus corporis exercitationi parumper violentae, aut potui spirituoso aliquantulum indulgentibus, sanguis interdum ex trachea, pulmonibus, quin ideo vel redeat fluxus, vel labes ad istos remaneat, regurgitat; ut igitur, si tam atro hic morbus carbone notetur, id maxime ex eorum, qui ob praevia in pulmonibus tubercula, vel ob infelicem ex parentibus a nativitate, dispositionem, profluvii hoc genus patiuntur, frequentia, vel demum ex ipso medicorum, immaturo, hunc fluxum vel quovis in casu ac illico cohibendi conamine, derivandum

sit. Huc etiam pertinet, ut gravidae mulieres non raro, donec partum absolverint, sine tantis, si modum res habet, periculis, sanguinem ex trachea eructent. Fluxu menstruo orbatae feminae, ut diximus, puellae, necdum rectius menstrutatae, frequenter sub debita periodo, cruorem e pulmonibus quin multae conspicuam abhinc, noxam experiantur, excernunt. Idem de haemorrhoidibus virorum suppressis, ac in profluvium pulmonum mutato aliquando fluxu, sed ut nostrae observationes loquuntur raro admodum, dicendum est.

3. Ex his dictis prognosin, quoad sexum adtinet, lubenter colligere possumus, si, in mulieri pneumonorrhagiam eo leviorem esse, apponimus, quo facilius atque celerius sanguinis congestiones a pectore ad genitalia transeant.

4. *Agroti aetas.* In priore aetate, atque juveniliore ubi pulmonum vasa nondum firmitatem suam assequuta sunt normalem, sanguinisque impetus ad peetoris organa propter eorum evolutionem fortior, haemoptysis semper morbus perniciosus contemplanda est.

5. De corporis constitutione, pneumonorrhagiae pathogenia jam diversis locis, quod necesse est, loquutus sum.

6. Sanguinis qualitatem et quantitatem, nec minus locum, quo ex erumpit, dijudicare debemus, cum de majore vel minore rei periculo gravia nobus praebere possint argumenta.

7. Pneumonorrhagia aliarum affectionum symptomatibus comitata, vel morbis ipsis complicata, prognosin vario modo commutare potest. Sed om-

nis pneumonorrhagia simplex, melius quam composita, et cum typho, statu putrido, scorbuto etc. complicata, pessima est. Praeterea malam prognosin confirmant: tussis vehemens, dolor thoraci infixus, asthma, febris violenta, sputa puriformia, pulsus parvus frequens, spasticus, rubor genarum circumscriptus, sudores nocturnae, virium collapsus, aegrumque candidatum mortis designunt.

THERAPIA.

Medici negotium in curanda pneumonorrhagia duplex est: primum ut paroxismum ipsum, quam celerrime removere curet, tunc eo finito, casus malos insequentes, ac si possit, recidivos prohibeat. Quod nunc ad paroxismum adtinet, pro primo, omnia, in caeteris haemorhagiis utilia praecepta, eximia cum diligentia atque severitate adhibenda sunt. Quaecunque igitur pneumonorrhagiae causa vel indoles sit, oportet ut aeger mox vestibus et cingulis, quae comprimant, spolietur, ut corporis positionem erectam observans, subfrigido in aëre degat, ut corpus vel minime moveat, ac omni prorsus vociferatione abstineat, et ut mentis in eodem agitatio quo fieri id licet modo, componatur. Ipse autem curandi methodus pro varia pneumonorrhagiae natura, varia esse debet; qua in re caeterum praecipue ad causas occasionales respiciendum, quae si adhuc adsunt, et aliter perfici potest, quam celerrime removere debemus.

E multorum ad superandam pneumonorrhagiam remediorum multis jiatrosophis propositorum thes-

sauro, quo ex pro re nata tum haec, tum illa eligenda sunt; hoc loco illa modo amplectamur, quae saepius usitata, semper efficaciora se praestiterunt.

Apparatus antiphlogisticus, praecipue commendandus est, si juvenis, aetatis flore, robustus, bene nutritus, pneumonorrhagia loborat, ubi sanguinis detractio vel generalis, venesectione, vel localis, cucurbitulis atque hirudinibus, aut generalis simul cum locali pro ratione indicata est. Idem de hac operatione habendum est, si fluxus sanguinis ex pulmone, suppressionem vel retentionem aliarum haemorrhagiarum consuetarum sequatur, quo in casu hirudines, loco, quo sanguis antea prorumpere solitus erat, utiliter apponuntur. Omnino in pneumonorrhagia venesectionem, quo propius morbus hic peripneumoniae attingit confinia, eo magis commendabilem esse existimamus. Antiphlogistica interna venesectionibus satis adhibitis etiam non intermittenda sunt; sed ut minore copia et semper quidem vehiculo mucoso dentur, oportet. Timent enim medici a remedii hujus usu nimis copioso, quod saepe tussim eo excitatam viderint. Quocirca nitro semper emulsionem amygdalarum dulcium seu gummi arabici adjicere solemus.

D i k s o n nitratem lixivae in pneumonorrhagia tantis effert laudibus, ut quasi pro specifico commendet sequens remedium:

℞ Nitri purissimi ℥½
Conservae rosarum ℥iv
M. f. elect., S. Capiat secunda quavis hora nucis moschatae magnitudinis instar.

Richter commendat:

℞ Pastae altheae ℥iij
infunde
Aq. font. ferv. ℥vi
stent ad solutionem adde
Kali nitrici depur. ʒij
M. S. Capiat quavis hora cochlear unum.

Acida vegetabilia, sal amoniacum aliaque antiphlogistica nunquam prosperum effectum, sed saepius irritatione damnum adferunt.

Opium in casibus, quibus indicatum est, in dosi adscendenti usque ad haemorrhagiae sedationem, datur.

Tralles (de opii usu) efficaciam suam his verbis laudat: »Conducit id maxime, inquit, in pulmonis haemorrhagia, sine plethora obveniente, cum aegri animi pathematibus vehementer agitantur, noctes insomnes transigunt, verbo, systemate nervoso praediti sunt valde perturbato.« Extractum opii aquosum in emulsione quadam granum unum alterumve sensim sensimque aegrotis porrectum, aliis opiatis est anteponendum. — Opii connubium cum ipecacuanha atque camphora rei maxime conveniens est, interdumque etiam illud cum acidis mineralibus quae ei vim calefacientem adimunt.

℞ Syr. violar. ℥½
Acid. sulph. dil. ʒ½
Tinct. op. simpl. gtt. xxiv-xl.
M. S. Quavis hora cochlear dimidium capiat.

Radicis ipecacuanhae vim, quam dicunt anthaemopticam testantur S. G. Wagner*) et P. Frank.

Hyoscyamum etiam commendat F. Hoffmann, atque peculariarem ejus virtutem in pneumonorrhagia invenit cum magno vasorum sanguiniferorum orgasmo, tussi frequenti, brevi, mobilitate summa systematis nervosi, pulsu crebro atque contracto. Si magna totius arteriarum systematis irritatio cum pulsu parvo, celere, spastico, irritato adest, digitalis purpurea inter remedia optima referenda est. (*Thomas the modern practice* of physic; *Frank; W. Jones in der Sammlung* für praktische Aerzte, Vol. XIII; *Ferriars Bemerkungen* über den Wahnsinn, Wassersucht etc., pag. 99.) Fatendum vero idem remedium vim suam salutiferam non ubique exercere. Jos. Frank decoctum ceteris remedii hujus praeparitis anteponit:

℞ Fol. digital. purp. ʒj
coque per $\frac{5}{4}$ horas c, s, q, aquae font.
colatur: librae I.
D. S. Cap. quavis hora cochlear majus, sive duo.

Cujus generis remedium imprimis praecipiendum, si magna sanguinis copia e pulmonibus emittitur, virium nimirum venesectione obstante. Pul-

---

*) (De haemoptoes, imprimis vero habitualis, seu phthysi ce expeditiori quadam efficacioreque curatione, dissertatio p. 239.) Saepius inquit, et ego vidi pulchras hujus radicis effectus in hoc morbo, ubi omni $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ horae grani unius pars quarta circiter vel et dimidia porrigebantur; et recte quidem nonulli medici eam omnibus caeteris remediis praeferunt. (Meza, in d. Sammlung für prakt. Aerzte, vol. XV, p. 259.)

suum vero lentor, digitalis effectum hunc esse, quem desideras, docet. Quo magis caeterum pergravia spasmi symptomata adsunt, eo minus digitalis in loco suo est.

Cum elixirio acido Halleri in his magni systematis arteriosi erethismi casibus periculum quidem facere possimus; sed maxime tussin, quod, minine adhuc in connubio cum remediis mucilaginosis fit, auget; omnino tamen remediis adstringentibus in pneumonorrhagia non nimis favendum.

Indicationem suum inveniunt adstringentia in haemoptysi habituali, quae plus vel minus semper habet characterem passivum, et omnia paene empirice laudata remedia, sub hac classi ponenda sunt. Sed etiam in insigno statu spastico atque orgasmo vehementer nocere possunt.

Nulla indicia cum adsint, quae venesectionem hirudinum applicationem et nitratis lixivae usum suadeant, tussi vix urgenti, praecipue chloroticis, juvenibusque valde sensibilibus, tum acidum sulphuricum alcoholisatum (el. ac. Hall.), tum sulphas aluminae et lixivae (alumen crudum) multum conducere solent. Quorum remediorum primum ad scrupulum unum in libra una decocti radicis Salep, adjecto syrupo quavis hora ad unciam unam adhibendum est. Alterum cum pulvere gummi arab., mixtum ad grana tria secunda quavis hora capiendum. Acriorem vim exserunt acida mineralia, et inter hae praecipue acidum phosphoricum. (Hufeland Journ. B. 9, St. 3, p. 153, B. 19, St. 1.)

℞ Acid. phosph. ʒi
Aq. font. dest. ℥½
Syr. cerasor. nigr. ʒij.

M. S. Cap. decem usque viginti gtt. per ¼ horam.

Remediis adstringentibus fortissimis, et prae caeteris empirice laudatis, addicenda sunt: Hartmanni solutio nitri saturata in spiritu vini. (Abhandlungen für prakt. Aerzte. Vol. XI, St. IV, p. 55;) Sal. muriaticum. (Ibidem B. 2, p. 55. Michaelis in Richteri biblioth. chirur. Vol. VII, p. 581. Rush, med. Beobachtung, aus d. Engl., p. 211.)

Frigus, glacies etiam et aqua frigida, cum interne tum externe adhibita, praestantissimis sine dubio remediis in pneumonorrhagia adnumerandae sunt. Burserius (instit. med. pr. Vol. IV, p. 33) commendavit ejus et internam atque externam applicationem, atque de usu hoc modo se explicavit: »Ab aqua simplici, naturaliter frigida, hic incipiendum est; deinde ad frigissimam et nisatam transeundum. Nonullis, quovis horae quadrante, scyphum hauriendum praebent; ego singulis semihoris, octo vel decem uncias praebere soleo, excluso quocunque alio alimento, continuarique ejusmodi, potum suadeo, diu noctuque ad aliquot dies interdum ad hebdomadam, aut certe donec sanguinis sputum cessaverit. Postea paulatim imminui ejusmodi aquae potus debet, et aliquid tenuioris alimenti concedi licet.«

Olea quoque magnum in pneumonorrhagia praestare possunt effectum, uti oleum olivarum, amygdalarum. Harless (Hufeland Journ. Vol. IX,

St. 11, p. 56) oleum lini, Wendt (ibidem Vol. V, St. 11, p. 38) oleum momordica laudat. Burserius pneumonorrhagiam continenti solum gummi arabici usu ad sanitatem perduxit. Clysmatum usus in pneumonorrhagia adhuc commemoro, quia levissimo modo alvum ducentia ad recuperandam salutem multum conducere possunt. Ad ipsa vero purgantia nonnisi tum confugiendum est, cum in abdomine talis pneumonorrhagiae causa lateat, quae iis admoveri possit.

Omnia haec remedia interna idoneis externis quae pro varia rei natura eligenda sunt sustentari oportet.

Inter numerum eorum refero: Pediluvia et mera, et sinapi, kali caustico submixta, synapismos, kataplasmata ex hyoscyamo etc. parata, infrictiones cum oleo chamomillae, linimento volatili, balsamo peruviano; vesicatoria ad pectus seu inter scapulas, quibus pneumonorrhagiam curatam esse, testatur Cullen et Withers (Abhandlung von der Engbrüstigkeit, a. d. Engl., p. 207. — De Mertens observat. med. de febri putrido) ligaturam artuum, quam Jos. Frank salubrem invenit.

Quae nunc, profluvio ex pulmonibus absoluto, de diaeta, caeterisque aliis rationibus reconvalescenti praescribenda sint, prudenti cujusque medici intelligentiae permissa manent.

VITA.

Ego Gust. Ad. Koenigsfeld, Marcoduri die 21, m. Juni anno MDCCCVIII, patre Joh. Koenigsfeld, Superintendente, matre e gente Peuchen, quos vivos adhuc pio animo veneror, natus atque, confessioni evangelicae ad dictus sum. Primis, quibus puerilis aetas instrui solet, rudimentis imbutus, Gymnasium, quod Crucenaci, et postea illud quod Marcoduri floret, adii, unde cum maturitatis testimonio dimissus almam litterarum universitatem Rhenanam, Fridericam Guilelminam petii, ibique a Cel. Nitsch, rect. magnif., civium academicorum, et a Cel. Harless, t. t. decano maxime spectabili med. studiosorum numero adscriptus, per quinque semestria tam philosophorum, quam medicorum ordinis professorum Ill. praelectiones frequentavi hasce:

Logicen, introductionem in studium philos. et psychologiam Cel. a Calker, physicem experim. Cel. a Munchow, botanicem generalem Cel. Nees ab Esenbeck sen., Zoologiam Cel. Goldfuss chemiam experim. Cel. Gust. Bischoff, mineralogiam Cel. Noegerath, me docuerunt.

De osteologia Cel. Weber, de anatomia Cel. Meyer, (utroque Cel. Duce ad dissecandi cada-

vera usus), de pathologia et therapia speciali, diaetetica, de materia medica, de aphorismis Hippocratis, de geographia medicinali Cel. Harless, de therapia generali ac speciali morborum chronicorum atque acutorum, nec non de morbis psychicis et de toxicologia Cel. Nasse, de oculorum morbis rite cognoscendis et curandis de operationibus chirurgicis, nec non de instrumentis ad illas perficiendas idoneis Cel. a Walther, de physiologia, pathologia generali, de medicinae methodologia, anatomia comparata, de Enthelmintis Cel. Mueller, disserentes audivi. Denique in exercitationibus clinicis et policlinicis chirurgicis et opthalmiatricis Cel. a Walther mihi erat moderator.

Ante annum unum et dimidium vero Heidelbergam profectus a viro Ill. Gmelin, h. a., prorectore, in civium academicorum numerum receptus, interfui exercitationibus clinicis med. Cel. Puchelt, chirurg. et opthalmiatricis, nec non illis, ad operationes chirurg. rite faciendas, Cel. Chelii, obstetritiis, Cel. Naegle. Praeterea Cel. Chelii praelectiones de ophthalmologia, Cel. Naegele de arte obstetricia, Cel. Breidenbach de arte fascias rite applicandi, audivi.

Die IX. m. Maji a viro Ill. Boekh, h. a. rect. magnifico, civium academicorum berolinensium numero adscriptus, et at Ill. Hufeland, medicorum gratiosi ordinis decano, maxime spectabili inter medicinae studiosos receptus, exercitationes clinicos med. Cel. Wollf, chirurg. Ill. Rust, ophthalm. Cl. Jungken, frequentavi.

Omnibus his praeceptoribus, optime de me meritis, maximas debeo gratias, easque palam et sincera mente confiteor.

Tentaminibus vero coram philosophorum, dein medicorum ordine nec non examine rigoroso rite superatis, spero, fore ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Symptomata singula fallacia morbi indicia.

II.

Venae non resorbent.

III.

Tracheotomia in angina membranacea operatio valde ambigua, rejicienda.

IV.

Abortui potius est praecavendum, quam medendum.